1754





D. O. M.

THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.

I.

SITATISSIMA est humani corporis in Truncum & extremitates divisio. De variis Trunci partibus nihil eò loci ad nos attinet. Non item de extremitatibus quæ proposito nostro affines sunt, seu potiùs intimam habent cum illo necessitudinem. Superiores aliæ sunt, aliæ verò inferiores. Prioribus adscribuntur Scapula, Brachium, Antebrachium & Manus. In inferiorum classem Femur, Genu, Crus, & Pes propriè

dictus veniunt. His potissimùm insistentes, quantùm Rotulæ fracturam spectant, nonnulla de anatomicâ ipsarum structurâ præmittemus.

II.

Genu itaque seu pars extremitatis inferioris secunda, uno præsertim osse quod Rotulam, Patellam-ve nuncupant, conflatur. Cujus ossis situm, figuram, facies, substantiam, cæterasque partes explanabunt nostræ responsiones.

III.

Articulationi Femoris cum Tibiâ inhæret Patella, ibique variis, sursùm videlicet, deorsùm & utroque-versùm, pro diverso articulationis statû, gaudet motibus. Spinæ aut Tuberositati Tibiæ, validissimo mediante ligamento, ex unâ parte connectitur. Duo insuper adsunt minori mole ligamenta lateralia. In periphæriâ observatur quoque ligamentum capsulare articulationi commune, musculorumque cruris extensorum aponevrosis convexam Rotulæ faciem involvit.

IV.

Excavata duplici modo sese præbet facies Patellæ interna, ambæque cavitates, quarum externa latior, cartilagine peculiari involutæ, lineâ longitudinali & obtusâ à se invicem separantur.

EX CHIRURGIA.

I.

Plurimis quidem morbis opportuna est Rotula, ex quorum numero, instituto facturi satis, fracturam duntaxàt perpendemus. Dicitur autem fractura in genere, continui solutio in osse à quâlibet causâ contundente originem ducens.

II.

Ab essentiâ porrò & causis Rotulæ fracturam producentibus species ac differentiæ desumendæ.

III.

Externas tantummodò hujus-ce fracturæ causas admittimus, cùm internæ tanquàm prædisponentes habeantur. Causæ autem externæ ex lapsû, ictû, nixû, vehementi saltû, violentâ denique musculorum cruris extensorum contractione deducuntur; tunc verò vel in longitudinem, vel transversìm, vel in plurimas etiam partes diffringitur Rotula.

IV.

Ut vulgò facili negotio dignoscere est Patellæ fracturas; visû etenim tactûque adhibitis integra ne sit an comminuta pars illa, nemini non artis perito perspicuum est. Quin imò an longitudinaliter, an transversìm, an tandem complures in partes comminuta sit nullo labore judicatur. Si tamen, ægrotante obeso, sursùm ascendat vel exiguum Patellæ fragmentum, fateamur necesse est tunc temporis non ità in promptû futuram fracturæ cognitionem.

V.

Circa deducendam ex Rotulæ fracturâ prognosim consideranda occurrunt non pauca. Sæpè enim sæpiùs evenit ut ægrè admodùm obtineatur curatio, quâ etiam admissâ ferè semper in posterum remanet progrediendi difficultas, cùm ob succum in articulo diffusum, quo quidem plus æquo inspissatur liquor sinovialis, vel incrustantur articulationis cartilagines, tùm ob imperfectam partium fractarum adunationem, levioremque calli soliditatem.

VI.

Sua autem cuique in curandâ Patellæ fracturâ, quoàd fasciam, arridet methodus. Hinc innumeræ fuerunt excogitatæ, quæ ad unicam tamen possunt revocari. Votorum quippè & artis eâ in re summam assecutus fuerit, quisquis dimotas à se invicem

partes coadunârit, & in suâ sede apparatû idoneo sitûque ac fasciâ juxta præscriptas leges institutâ firmiùs continuerit, tùm imminentibus prudenter occurrerit accidentibus, ac tandem, ut par erit & congruum, præsentia debellaverit.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, *tueri conabitur* JOANNES-FRANCISCUS COCQUEREL, *Vandolius, Artium Liberalium Magister.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Martis 31ª, anno salutis 1754. à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO.

Typis DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg. Typographi, viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ.